

26

E. 24. num. 10.

DISSE^TAT^O IVRIDICA INAVGVRALIS
DE
PACTIS DOTALIBVS
OB SVPERVENIENTIAM LIBERORVM
HAVT TOLLENDIS

P. 392

1764, 5

5

QVAM
ILLVSTRIS IVRECONSVLTORVM ORDINIS
AVCTORITATE
P R A E S I D E
IOANNE FRIDERICO EISENHART

L V. D. SERENISSIMO BRVN. ET LVNEB. DVCI. A
CONSILIIS AVLICIS FACVLT. IVRIDICAE ORDINARIO
SOCIETAT. TEVTON. PRAESIDE, ORDINIS SVI

H. T. DECANO ET PROMOTORE

PRO
SVMMIS IN VTROQUE IVRE HONORIBVS
ET PRIVILEGIIS RITE OBTINENDIS
IN IVLEO MAIORI

A. D. XXXI DECEMBRIS MDCCCLXIV
HORIS ANTE ET POST MERIDIEM CONSVENTIS
PVBLICAE DISQVISITIONI SVBMITTIT
AVCTOR

IOANNES CHRISTIANVS REINHARD
ACAD. IVL. CAROL. SECRETARIUS ET FACVLTAT. IVRID.
ADIVNCTVS.

HELMSTADII
TYPIS VID. F. D. SCHNORRII, ACAD. TYPOGR.



REMONSTRANTIA
IN AGENDA IMPERIALI

PACIS DILETTAE

CONVENTUS VENETORUM

CONVENTUS VENETORUM

CONVENTUS VENETORUM

CONVENTUS VENETORUM

TRINITATIS CONVENTUS

CONVENTUS VENETORUM

VIRO
ILLVSTRISSIMO
ATQVE
EXCELLENTISSIMO
DOMINO
CHRISTOPHORO
LIBERO BARONI
DE HEIMBVRG

SERENISSIMI DVCIS BRVNOCENSIVM
ET LVNEBVRGENSIVM EPHORO PRAE-
FECTVRARVM GVELPHERBYTANARVM
NEC NON SVPREMI SENATVS QVI RES
MONASTERIALES IN HOC DVCATV
BRVNSVICENSI RESPICIT DIRECTORI
GRAVISSIMO REL. REL.

MAECENATI SVO
GRATIOSISSIMO
OMNIQVE VENERATIONE ET
OBSEQVIO AETERNVM
COLENDO

HOCCE
SPECIMEN EXIGVVM SEMPIERNÆ
DEVOTIONIS AC REVERENTIAE
MONUMENTVM
CONSECRAT
CVM VOTO OMNIGENÆ ET PERENNIS
PROSPERITATIS SE HVMILLIME
COMMENDAT
GVRITANVS SAM
Cultor obsequiosissimus
IO. CHRISTIANVS REINHARD.



DISSERTATIO IVRIDICA INAVGVRALIS
DE
PACTIS DOTALIBVS
OB SVPERVENIENTIAM LIBERORVM
HAVT TOLLENDIS.

§. I.

De pactis. inde secund. Ius Roman.

MATERIAM de pactis dotalibus con-iugum non minus difficilem esse quam quotidie in foro obvenientem et utilem omnibus praetoris constat. Operae igitur pretium me facturum esse arbitratus sum, si ex ea thema dissertationis inauguralis el gerem et publicae disquisitioni subiicerem.

A 2

No. 1

4

Non mihi quidem animus est, totam pactorum de-
calium doctrinam exaurire, quod iam ab aliis fa-
ctum est, inter quos ANDREAS KOHLIVS primum
locum occupat; sed tantummodo de pactis dotali-
bus potissimum successionem coniugum concernenti-
bus, hic aliquid differere et in specie quaestionem
multis dubiis obnoxiam dilucidare mecum constitui,
an talia pacta, ob supervenientiam liberorum, ut
plerumque statuunt, omni ex parte tollantur? Quo
vero in perpetuanda hac materia rerum dicendarum
ordinem observem, de pactis in genere quaedam
praemittere, in primis differentias iuris Romani et Ger-
manici in materia pactorum breviter indicare placet.
Est autem secundum Ius Romanum Pactio vel Pactum
seu conventio duorum aut plurium in idem placi-
tum consensus L. 1. §. 2. D. de Pact.

§. II.

Eorum divisio.

PRIMA divisio pactorum in publica, quae ex
causa publica, oriuntur, et privata, quae tantum
causam et rem privatam pro objecto habent, repe-
ritur in L. 5. D. de pact. quia vero Romani non omni-
bus

bus pactis obligationem tribuerunt civilem, haec
pacta iterum dividuntur in nuda et non nuda seu ve-
cta L. 6. L. 7. §. 4. D. de pact. L. 10. C. cod. in praec-
toria L. 17. §. 2. D. eod. et adiecta L. 7. §. 5. 6. L. 13. C.
de pact.

§. III.

De effectu hor. pact.

PACTA nuda iure Romano nullam producunt
actionem, L. 7. §. 5. D. de pact. L. 15. D. de praescr.
verb. Praetoriis autem pactis adstipulatur Praetor
L. 7. §. 7. et cit. L. 17. §. 2. h. t. et L. 1. D. de pec. con-
stitit. Denique pacta contraetibus in continenti adiecta
Legitima dicuntur et pro diversitate contractus ad
effectum veniunt L. 6. L. 7. §. 1. seqq. D. h. t. L. 30. D.
de usur. L. 12. Cod. eod. L. 5. §. 1. L. 7. D. de foen. naut.
Nov. 136. cap. 4. L. 35. C. de donat. L. 6. C. de dot.
prom.

§. IV.

Ulterior divisio pactorum.

ALIA adhuc occurrit praetorum divisio, nempe
in expressa quae verbis, litteris, etiam nutu, consensum
expressum indicantia, L. 52. §. penult. D. de Obl. et
act.

act. vel factis, unde consensus tacitus colligitur, L. 2. §. 1. D. de pact. L. 1. §. 1. D. de lib. leg. L. 9. C. de remiss. pign. ineuntur, et denique in pacta personalia realia et mixta L. 7. §. 8. L. 57. D. de pact. quorum priora cum persona extinguntur, L. 21. pr. L. 25. §. 1. h. t. licet in dubio realia presumantur, L. 13. C. de contrah. et comm. stipulat. nisi heredes expresse excludantur L. 17. §. 3. vel verba ad solas pacientium personas restringantur. L. 7. §. 8. h. t. Duo posteriora autem et heredibus et fideiussoribus aliquique successoribus prosunt quoties inter est pacientis L. 23. pr. L. 3. 2. L. 40. L. ult. D. h. L. 34. pr. D. de recept. qui arbitr. recep.

§. V.

*Pactor, indoles secund. Ius Canonic. et mores
Germanor.*

SED Ius Canonicum iam dudum recessit, ab hac distinctione formulari Iuris Romani, et pacta ad simplicitatem iuris naturae et gentium reduxit, quod evidenter constat ex c. 1. et 3. X. de pactis c. 1. c. f. de pact. in 6to. Germanis etiam data fides semper fuit sancta et inviolabilis, TACITVS de Morib.

Ger.

German. cap. 24. IDEM Annal. Libr. 13. cap. 54. et
moribus antiquis inter alios ritus dextrae datio, mo-
dus pacificandi erat usitatissimus, *E.V. OTTO Iurispr.*
Symbolic. Exerc. 2. cap. 10. quamvis temporibus po-
sterioribus pacta adhibitis testibus in scripturam re-
daeta. Interim quaeviis pacta seria et honesta tam
verbis vel symbolis inita quam in scriptis consigna-
ta vim obligandi habebant et actionem produce-
bant. Vnde paroemia iuris Germanici: *Ein Wort*
ein Wort, ein Mann ein Mann. Zusagen macht
Schuld vid. Ius Alemannicum cap. 12. Specul. Saxo-
nic. Libr. 1. art. 7. Spec. Suevic. cap. 259.

§. VI.

Pacti Etymologia et defin.

PACTI **N**EM vel pactum itaque alii a paco sive
paceo alii a pacione vid. **FESTVS** in pacem alii autem
a verbo pangere seu pagere, id est figere, derivant
SCHILTER exercit. 8. §. 6. Hinc pactum nihil
aliud esse potest quam obligatio perfetta, per promis-
sionem seriam et honestam, ab uno alterove de pra-
stanto aliquo aut faciendo facta. Quemadmodum
autem ad obligationem hanc perficiendam necessario
requi-

requiruntur: 1) ratione subiecti consensus certus et deliberatus, 2) intuitu obiecti vero res et facta quae a nostra libera dispositione et a nostro arbitrio dependent, consequens est, quod nec illi, qui vel legge prohibentur aut natura impediuntur consentire, nec pacta de rebus et factis alienis valide inire possint.

§. VII.

An differant pacta et contractus?

Ex his satis iam apparet, quod nulla in Germania differentia inter contractus et pacta quoad effectum locum habeat sed his eadem vis sit quae apud Romanos contractibus BEIER in Delin. Iur. German. Libr. 3. cap. 3. posit. 15 seqq. HEINECCIVS in Element. Iur. Germ. Libr. 2. §. 330. Quamvis celeberrimus ICtus SAM. STRYCKIVS in us. mod. tit. de pact. §. 7. contractum literalem absque necessitate separare, et differentiam quandam nominalem, inter contractus reales et pacta, adhuc hodie superesse, sine ratione sufficiente contendere velit. De divisione pactorum in principalia vel accessoria, benefica, vel onerosa, liberatoria vel obligatoria personalia vel realia,

et

et de singulis eorum speciebus prolixius agitur a cit.
HEINECCIO alleg. Lib. 2. Iur. Germ. tit. 12. §. 329. §.
356. et tit. 13, 14, 15, 16. et laudat. BEYERO cit. loc.
posit. 26. seqq.

§. VIII.

Definit. pact. dotal.

INTER has species, praesertim intuitu privatōrum, obveniunt saepenumero in praxi pacta dotalia Give nuptialia, germanice, *Ehestiftungen*, *Eheberedungen*, *Ehezärter*, *Ekepaetēn*, *Ehelich*: quae sunt conventiones inter despontatos, eorumque parentes, aut qui horum loco sunt, initiae, quibus coniugum futurorum iura tam durante matrimonio, quam soluto matrimonio, determinantur.

§. IX.

De discrimine pactor. dotal, Romanor.
et Germanorum.

PACTA dotalia Germanorum, maxime differunt a Romanorum pactis dotalibus, non tantum in forma, quia apud Romanos nulla alia successio quam testamentaria, aut legalis, sive ab intestato, in usu iuit. *¶. ult. Inst. per quas personam curque acquiritur, et pacta*

B

super

super futura hereditate coniugis praemorientis con-
fecta plane erant prohibita. L. 5. C. de pacl. convent.
L. 15. L. 19. et L. ult. C. de pacl. L. 3. C. de Collat. L. 15.
§. 1. C. de inoffic. testam. Sed etiam ratione obiecti-
cum in his solummodo de dote, et donatione pro-
pter nuptias, convenire liceret, neutquam vero de
paraphernalibus aut aliis bonis ac iuribus, L. cit. 5. L.
8. et 9. C. de pacl. convent. Nov. 61. cap. 1. et Nov.
27. cap. 1.

§. X.

De usu paclor. dotal. in Germania.

Ex hac differentia iam probabiliter constat,
hanc paclorum speciem, minime per receptionem
Iuris Romani, primo esse introductam in Germania,
sed paclta dotalia, dudum ante hanc receptionem, in
usu fuisse et maioribus nostris innotuisse. Ulterius
autem hoc appareat, ex Leg. Angl. tit. 13. L. Salic. tit.
49. et 63. Leg. Ripuar. tit. 48. Id quod satis evincit,
BOEHMERVS in Dissert. de Successf. hereditar. coniug.
ex pacl. dotal. cap. 1. §. 8. it. in Dissert. de fundament.
paclor. ad fideicommiss. inclin. cap. 2. §. 4. et HEI-
NECCIVS in Elem. Iur. German. Libr. 1. §. 237. ex
Leg.

Leg. Ripuar. uberior demonstrat. et *ibid.* §. 238. seqq.
de Alamannis, Saxonibus aliisque Germanicis genti-
bus testatur; licet hic **I C T V S C E L E B R I M V S**
supra §. 193. cit. libr. usum tabularum sive litterarum,
super p̄ctis dotalibus confessarum, a Romanis ad
Francos et ab his ad nos pervenisse opinari velit;
cui tamen contradicit **I C t u s E x c e l l e n t i s s . C H R I S T .**
G O T T L I E B R I C C I V S in *Spicileg. Iur. German. Libr.*
l. tit. 13. pag. 492. vid. S T R Y C K . de Success. ab intest.
Diss. 8. cap. 1. §. 5.

§. XI.

De horum mixtura.

D E V E N I A M V S nunc ad divisionem illam vu-
garem, p̄ctorum dotalium in *simplicia* et *mixta*.
Haec denotare deberent quae per modum ultimae
voluntatis; illa autem quae per modum contractus
essent inita. Priora defensores huius distinctionis **ex**
verbis adhibitis, *Erbverlaffenschaft*, *Erben*, *Erbe*,
Erbfolge, *succediren*, *vererbfällen* etc. posteriora **ve-**
rō ex verbis, *übertragen*, *haben*, *behalten*, *schenken*
etc. cognoscere volunt, ut **B I R C E R** *oecon. Iur. Lib. 1.*

B 2

tit.

tit. 3. §. II. STRYCK. de Success. ab intest. Diff. 8.
cap. 5. §. 3. et in caut. contract. Sect. 3. cap. 8. §. 18.
21. seqq. LAVTERBACH in Colleg. theoret. practico
tit. de paet. dotal. KOHL de paet. dotal. Part. I. nr. I.
seq. et Part. 2. nr. 60. seqq. aliquie ICti strenue de-
fendere solent; et omnes hi defensores uno quasi
ore contendunt, paeta simplicia vim contractus ha-
bere, et nullo modo ab unius parte revocari posse,
paeta contra mixta, semper manere revocabilia, et
ad eorum validitatem minimum quinque testes re-
quiri; cum tamen illi ipsi alio loco iterum iterumque
confiteantur, quod omnia paeta successoria Iure Ger-
manico valeant, et quaevis paeta deliberata et hone-
sta, secundum mores Germanorum perfectam obli-
gationem atque actionem producant, BERGER Oecon.
Jur. Libr. 2. tit. 4. §. 48. et Libr. 3. tit. 1. §. II.
STRYCK. Vf. Mod. Libr. 2. tit. 14. §. 2. 3. 7. 18. 19. et
in Tract. de Success. ab intest. Diff. 8. cap. 4. §. 2. seqq.
ubi speciatim paeta dotalia, ad paetorum successorio-
rum genus, refert. KOHL cit. loc. part. 2. nro 70.
seqq.

§. XII.

§. XII.

Dictorum Diuidicatio.

INTER naevos Iurisprudentiae adhuc superstites, etiam haec distinctio praesertim referenda. Nemo non videt, principia iam memorata sibi non correspondere, sed potius re accuratius pensitata, mixtrum illam aperta contradictione laborare, imo memrum inventum esse veterum Glossatorum, ex confusione Iuris Romani et Germanici conflatum omni iuris fundamento destitutum. Verba enim heres, hereditas, succedere, successio etc. indolem patitorum germanicorum nec mutare, nec vim in his semel radicatam, perfecte obligandi, adimere possunt, cum moribus Germanorum, super hereditate futura et successione ipsa, licite et valide pacisci queat. PETER MÜLLER ad Struvii Syntagn. Iur. Civil. Exerc. 30. §. 19. lit. S. ibique alleg. DD.

§. XIII.

Continuatio.

AGNOSCUNT quidem hi Patroni, unanimiter valorem, pactorum de successione instrumento nuptiali iniectorum, et provocant propterea, ad Consuetu-

B 3

dinem

dinem Germaniae universalem, toties confessam; immo ultro confitentur, quod Consuetudo ista et aequitati et rationi conveniat. Nihilominus sine ullius rationis suffultu, paet illa, non ut contraetus, quibus omnino ad effectum per omnia aequiparantur, aut actus inter vivos, quod tamen vere sunt, sed utpote ultimam voluntatem considerare, et secundum formam Iure Romano his praescriptam, iterum dijudicare cupiunt. Vix illum principium in Iure excogitatum reperitur, cui Ius ipsum et sana ratio refragatur, quam huic mixtriae paetorum germanicorum natura et substantia reclamat. En! monstrum horrendum, informe, ingens cui lumen ademnum, VIRG. MARO Aeneid. Libr. 3.

§. XIV.

Epicrisis Engavii et Leyseri.

MIRANDA ideoque quorundam ICtorum praestantissimorum Epicrisis, qui inventum hocce monstrum equidem relicebant, et multa de ipsius hallucinatione recensebant, attamen simpliciter huius doctrinae erroneae, praxin struere conabantur, ENGAV in Element. Iur. German. Libr. 1. tit. 13. §. 342. 343.

et 345. LEYSER Specim. 308. medit. 1. seqq. de qua
vero praeter allegatam Constat. Saxonie. 43. Part. 2.
quippe qua fortassis impulsi, nil certi afferunt, nec
extra Saxoniam in foro constat. Nititur haec facta
paetorum dotalium distinctio, duntaxat sola nonnullo-
rum Iureconsultorum. Imaginatione quae nullaten-
nus vim legis consequi, minime autem absque legis
autoritate praxin fundare potest constantem.

§. XV.

De praxi huius distinct. paetor. dotal. exulante.

RECTISSIME igitur reicitur nostris tempor-
ibus, divisio illa maximopere inconcinna; et diu non
solum iam est reiecta ab omnibus ICtis cordatioribus,
Vid. RIVINVS in Differt. de Paet. dotal. cap. 2. §. 32.
PHIL. IAC. GRAV Differt. de Mixtura incongrua Iu-
ris Romani et German. in practicor. distinct. paetor.
dotal. in simplicia et mixta; PÜTTER in Elem. Iur.
Germ. tit. de paet. nupt. §. 288. in not. et §. 295. not. 2.
ibique allegat BÖHMERVS Diff. de Success. hered. coniug.
ex paet. dotalib. RICCIVS Spicileg. Iur. German. Libr. 1.
tit. 13. pag. 506. sed etiam in Facultate iuridica Helmsta-
dieni extirpata. Quod ad praxin attinet, dicere fas est
distinctio.

distinctionem hanc in illis locis, ubi statuta aut lex provincialis illam firmat in usum tantummodo esse receptam, ESTORS *Bürgerliche Rechtsgelehrsamkeit der Teutschen*, Part. 1. §. 789. alias prorsus exulat, RICCIUS cit. loc. tit. 14. pag. 510, et, ut verbis laudati PÜTTERI allegat. *Libro et loco not.* 5. utar: „uti „cognoscuntur ita corruunt, modo memores semper „simus Iureconsultos istos novarum harum rerum „auctores non fuisse legistatores.“

§. XVI.

Continuatio.

IN terris Brunsvico-Luneburgicis distinctio haec spuria, nunquam fuit in usu, tam ob dispositionem *Ordination. Luneburgensis cap. 2. §. 1.* quam ob consuetudinem generalem, in Ducatu Luneburgico et Calenbergico introductam quippe qua potius omnia pacta dotalia inter turricolas, etiam quod ad ea, quae de successione futura in illis disponuntur, in vim contractus conficiuntur et judicialiter confirmantur, teste PUFFENDORF. *Tom. 1. obser-*
vat. 209. §. 4. et de SELCHOW in den *An-*
fangsgründen des Braunschweig - Lüneburg. Privat-
Reck.

Rechtes §. 261. similis dispositio legis extat in Comitatu Bentheimensi per Edictum Regiminis de 17 Augusti 1719 et in his terris Brunsvico-Guelphicis in Ordinatione provinciali DIVI AVGVSTI de anno 1647. §. 15. et Constitut. D. FRIED. VLRIC. de anno 1620 ubi iudicialis confirmatio paetorum dotalium et quidem sub poena nullitatis iniungitur. Et quamvis haec Sanctio ad agrestes tantum applicari soleat, at tamen illa per novam constitutionem de anno 1744 in emtionibus venditionibus rerum immobillium etiam ad oppida nunc extensa, licet cum restrictione poenae nullitatis ad certam multam intus determinatam. De consuetudine supra memorata aequo experientia docet, paeta dotalia in hoc Ducatu ubique et omni ex parte, vim contractus tenere, et pro simplicibus aestimari.

§. XVII.

De effect. pact. dotal.

NE autem fines propositi nimis transgrediar, redeo nunc ad materiam paetorum dotalium. Hodie, uti iam supra demonstratum, omnia paeta successoria valent iure Germanico in genere, causae prohibi-

C tio-

tionis apud Romanos in Germania nunquam invene-
re locum. Nullum itaque dubium restat, quin per
paecta dotalia, omne ius succedendi omniaque bona
hereditaria possint transferri in alium, nisi obstat lex
specialis aut consuetudo. KRESS *Specim. Libr. 2. tit.*
25. §. 7. HEINECCIVS *c. l. Libr. 2. tit. 6. §. 171.*
STRYCK *de Success. Ab Intest. Diff. 8. cap. 1. §. 9 et*
cap. 5. §. 15. IDEM *in Caut. Contr. Sect. 3. cap. 8. §. 1.*
LEYSER. *Spec. 43. medit. 5. et Spec. 308. Med. 9.*
SCHILTE FR. *Exercit. 8. §. 40.* CHRIST. RODEN-
BURG *in tract. de Iure coniug. cap. 4. §. 8.* Quorum
effectus in eo potissimum consistunt: a) quod ius rea-
le et b) si super omnia bona sint inita, ius hereditari-
um universale, quod neque per testamentifactionem
aut aliam conventionem unius, postea auferri potest,
ENGAV. *Elem. Iur. German. Libr. 1. tit. 13. §. 337. et*
Libr. 2. tit. 27. §. 446. tribuant: c) quod ius hocce
ad heredes transeat: et denique d) quod ex instru-
mento super his paectis rite consecpto, tanquam gua-
rentigato, non solum ad consequendam possessio-
nem, secundum Leg. ult. Cod. de Edict. Divi Hadr.
toll. ob identitatem rationis summariter, sed etiam
executive experiri queat. STRYCK. *all. loc. cap. 5. §.*

24. seqq. LEYSER. Spec. 43. med. 5. et Spec. 381. med.
 4. seqq. BEYER. Delineat. Iur. Germ. Libr. 2. cap. 11.
 posit. 45. et Libr. 3. cap. 16. pos. 12. BERGER. in Elect.
 proc. Executivi §. 29. seqq. vid. Constit. DIV. FRIED.
VLRICI de anno 1617.

§. XVIII.

De modis tollendi pacta dot.

ITERVM vero solvuntur pacta dotalia, vel in totum, 1) matrimonio non secuto; aut 2) confirmato quidem, ast pro nullo declarato; 3) dissensu paciscentium mutuo tam tacito quam expresso; vel in tantum sive pro parte a) ob malitiosam desertionem, aut alimenterorum denegationem, aut ob nimias saevitas vel alios mores prorsus intolerabiles et inde consecutum divortium intuitu partis nocentis, L. 8. §. 5. C. de Repud. Novell. 117. cap. 8. §. 2. BESOLDVS ad I. P. W. Disput. 2. th. 166. CARPZOV Part. 3. Const. 26. def. 5. seqq. MEVIVS ad Ius Lubec. Part. 2. tit. 2. art. 12. nr. 435 et 439 seqq. et b) ob supervenientiam liberorum quoad successionem vel in casum si liberi hant nascantur limitatam, ENGAV. Element. Iur. Germ. libr. 1. tit. 13. §. 341. BERGER. Oec. Iur. Libr. 1. tit. 3. §. 11.

C 2

not.

not. 5. vel si eorum in pactis dotalibus mentio plane non facta, BOEHMER. *Resp.* 524. *arg.* L. 7. D. de Bon. damnat. et tum ob praesumtam parentum voluntatem L. 5. C. de inoff. donat. L. 8. C. de revocand. donat. BRVNNEMAN ad hanc Leg. 8. KRESS in *Specim.* loc. cit. §. 12. cui adhuc addendum quod pacta ad incognitata non sint extendenda L. 16. §. 3. D. de testam. tutel. L. 5. D. de transact.

§. XIX.

Cessat legitima parentum.

COMMVNITER ICti, etiam alia ex causa sublationem pectorum dotalium, ratione successionis tueri volunt, si nempe parentibus aut liberis nulla reliqua fuerit legitima, vid. STRYCK. *diel. tractat. Diff.* 8. *cap.* 5. §. 18 et 42 *ibique alleg. DD.* De liberorum legitima, inferius agitur. Ad Legitimam vero parentibus competentem quod attinet, illa in pactis dotalibus omnino exulat, si quidem analogiae iuris neutiquam haec convenit, et quod maximum certat cum facto proprio, et data fide, cui contravenire non licet. *arg. Leg.* 31. §. fin. D. de inoff. testam. GOTHOFRED. *ad Leg.* 23. D. eod. lit. i.

§. XX.

§. XX.

Probatur argumentis.

HODIE enim plerumque, pa&ta dotalia in praesentia parentum, his existentibus, eorumque consensu conduntur; praecipue autem parentes totum hocce negotium dirigere, omniaque praescribere et definire, immo saepius in liberorum absentia nomine eorum promittere et pacisci solent. Nihilo secius pa&ta haec, ob mandatum praesumtum pro validis diuidicantur, CARPOV Part. 2. Confit. 43. Defin. 4. nro 5. KOHL de Pa&t. dotalib. Part. 2. nro. II. seqq. nisi liberi obtentam ignorantiam iuramento comprobare possint. MEVIVS ad Ius Lubec. Part. 2. tit. 2. Art. 12. in additam. ad nr. 369. vid. LEYSER Spec. 307. medit. I. seqq. FLEISCHER Dissert. An pa&ta dotalia a marito quidem, sed non ab uxore subscripta, sunt valida. WERNHER Select. Observ. Forens. Part. I. observ. 282. Qua de causa modum succedendi in pa&tis dotalibus, de omnibus bonis determinatum, similiter approbare et super hoc pacisci videntur. Pa&ta itaque illa neque revocare, neque de hereditate liberorum, legitimam amplius efflagitare possunt. In rebus dotalibus ceterisque illatis, quae parentes in casum mortis ge-

C 3

nero

nero relinquunt, nullum prorsus dubium superest, cum etiam iure Romano pacta haec adiecta pro va-
lidis dijudicantur, vid. L. 7, L. 12, *D. de Pact. dot.*
L. 6, C. de Pact. conv. et talis dotalio pro donatione
inter vivos habetur, ubi nec querelae inofficiosi *Leg.*
26. D. de Donat. inter virum et uxor. L. 3. C. eod. nec
deficiente iure succedendi ab intestato legitimae lo-
cus est uti solide evincit. *Ill. GEORG. HENRIC. AY-*
RER in Dissertat. de legitima parentum pactis dotalib.
exclusa §. 12. seqq. ibique allegat. *ABRAH. A WESEL*
in Tractat. de Iure coniugior. Seet. 2. cap. 5. §. 30.
LEYSER Spec. 309. medit. 3 et 4.

§. XXI.

Dubia enumerantur ratione legitimae liberorum.

CIRCA legitimam liberorum plura obveniunt
dubia maximi momenti. Nam hi neque pacisci ne-
que renunciare valide possunt, et intuitu legitimae
plane ut tertii considerantur, in cuius praeiudicium
pacta dotalia nullum effectum producunt. Quaeri-
tur ergo si despontati in pactis dotalibus invicem se
heredes instituunt, ex asse, cum annexa clausula ex-
pressa, sive liberi ex hoc matrimonio proveniant sive
non, an talia pacta corruant quoad caput de succes-
sione.

sione mutua? Icti qui affirmativam huius quaestيونis propugnant, praeter adductas rationes nituntur sequentibus 1) quod legitima sit iuris naturae et nullo modo nullaque lege aut statuto, minui vel tolli possit; 2) quod pacta ista contra leges ac bonos mores in-eantur; et denique 3) quod supervenientia libero-rum secundum paroemiam iuris Germanici: *Kinder Zeugen bricht Ehestiftung*, haec pacta dissolvantur. His vero dubiis non obstantibus mea ex sententia pacta illa salva manere credo.

§. XXII.

Responsio ad dubia praemissa.

NIMIRVM liberi, nec ante nativitatem, nec post eorum existentiam, sub patria potestate aut sub tutela vel cura, in lubrica aetate constituti, propter defectum consensus pacta inire et renunciare possunt. Ast in casu hypothetico, nihil est de quo conveniatur, et cui renuncietur. Ante illorum nativitatem, nequaquam iuris cuiusdam compotes fieri poterant; post eam vero nullum ius, in bona praemorientis coningis, amplius exstiterat. Parentes, a quibus tamen ius solummodo succedendi consequerentur, iam tempore quo nasciebantur liberi, omnia bona inter se per pacta dota-

dotalia, quippe quae naturam donationis inter vivos imitantur et quae ius reale tribuunt (§. XVIII.) vid.
LEYSER Specim. 44. corollar. 4. transtulerunt. De iure itaque tertii hoc casu non constat, ideoque hoc infringi haut potuit, cum liberis nequidem quod ad legitimam, multoque minus intuitu reliquorum bonorum praemorientis parentis ius proprium competit, et illi in his personam tertii sensu iuris tueri nequeant. Ex quo sequitur tanquam prono alveo, quod liberi ad pæta dotalia parentum, ante eorum nativitatem consepta, etiamsi iis praeiudicium ex illo accideret, ligentur, ut recte colligit **LEYSER Spec. 15. corollar. 3.**, et **Specim. 219. meditat. 3.**

§. XXIII.

Repons. ad dubium primum.

LEGITIMA maioribus nostris fuit incognita. **BOEHMER Diff. de spuria filiarum nobilium a successione exclusar.** legitima, et in iure naturae non est fundata. Ultra alimenta necessaria liberis exhibenda, naturale praeceptum non obstringit parentes, sed potius eis dispositionem liberam de bonis suis in casum mortis relinquunt. **GROTIUS de Iur. Bell. et Pac.**

Libr.

*Libr. 2. cap. 7. §. 4. et 11. et ZIEGLER in not. PUF-
FENDORF. de Iur. Natur. et Gent. Libr. 4. cap. 11. §.
7. seqq. GRIBNER. in Principiis Iurisprudent. natural.
Libr. 4. cap. 6. §. 5. Vnde satis apparet, quod legit-
ima sit mere iuris humani positivi, paeprimis Iuris
Romani, et Statuto aut alia lege contraria mutari,
minui, immo tolli possit, quod contra veterem Sen-
tentiam Interpretum spuriam, iam pridem explosam,
perspicue monstrat STRYCK. de Success. ab Intest.
Diff. 1. cap. 1. §. 8.9 et 13. IDEM in Vf. Modern. Tit.
de inoffic. testam. §. 17. RECHENBERG in Diff. de eo
quod legitima sit iur. civil. et statuto plane tolli possit.
Sin autem hoc, non dubitandum, quin etiam legitima
per pacta mutari aut tolli valeat; cum tamen
provisio hominis alias tollat provisionem legis, arg.
Leg. 5. §. 14. D. Commodati etc. Leg. 2. C. de Execut.
rei iudicat. quorsum etiam spectat Proverbium
Germanorum *Wilkübr bricht Stadt Recht*; et secun-
dum dispositionem iuris naturae, si liberi aut paren-
tes sint locupletes et alimenta aliunde sumere possint,
licitum sit, legitimam pro lubitu fideicommissio vel
alio modo gravare, et hos impune praeterire. *Ius*
Germanicum vero in obligationibus, uti supra de-*

D

mon-

monstratum, iuris naturae simplicitatem, sequitur.
 PÜTTER in *Element. Iuris Germanici* §. 190. seqq.
 SENCKENBERG de *Gravamine in legitima*. Nec
 hodie etiam in paetis familiae, inter Nobiles et Illu-
 stres personas, conseptis, recepta inveniatur legi-
 tima illa Romano iure stabilita, vid. de LVDOLF in
Tract. de Iure feminarum illustrium in Append. pag.
43. 59. 65. 71. etc.

§. XXIV.

Cont. Respons.

PRAETEREA Iure Romano legitima est portio he-
 reditatis, provisione legis certis personis assignata, si-
 ve portio portionis ab intestato debita, §. ult. *Inst. de*
inoffic. testam. L. 8. Cod. eod. Nov. 115. cap. 3. Duo ex
 hac definitione notentur axiomata: 1) quod legitima
 solummodo tempus mortis respiciat, *L. 6. Cod. de inoff.*
testam. FABER in Codic. Libr. 4. tit. 9. Def. 4; et 2) quod
 deficiente hereditate deficiat etiam successio. Ex pri-
 ori axiomate sequitur legitimam viventis esse figmen-
 tum, et non deberi nisi parente mortuo, *BRVNNE-*
MANN ad L. 5. C. de inoffic. donat. nr. 4; nam Legi-
 bus non datur eiusmodi hereditas, *L. 1. D. de Heredit.*

vel

vel aet. vend. L. 1. D. pro Herede, ut contra STRYCKIVM in Caut. testam. cap. 17. solide arguit, THOMAS in Diff. de legitima viventis. Secundum vero axioma docet: quod ubi nulla hereditas et successio, ibi etiam nulla legitima peti possit vid. BRVNNE-MANN. ad L. 8. C. de inoffic. testam. GOTHOFREDVS ad Leg. 16. C. ad Leg. Falcid. lit. i. dum hereditas non intelligitur nisi deducto aere alieno L. 39. §. i. D. de verb. signif. L. 15. C. de legatis, et legitima tum demum computatur L. 8. §. 9. D. de inoff. testam. Accedit quod liberi, si de legitima in foro disceptare conantur, prius laesionem probare teneantur, quae tamen, cum proprie in iuris diminutione consistat, haec autem naque ante, neque post eorum nativitatem cessante iure fieri potuit, frustra movetur et vere existere nequit; siquidem Parens superstes, usumfructum etiam de legitima retinet, liberis vero ista, post eius obitum semper manet illibata, quinimo omnia bona relinquuntur.

§. XXV.

Vlterior. Cont.

PLACVIT quidem III. LEYSERO ICto acutissimo
in Specim. 91. med. 1. 2. ex Novella 92. querelam inof-

D 2

ficio-

ficiose venditionis sustinere, et in computatione legitimae ad tempus, factae, eiusmodi alienationis immensae, videndum esse putavit. Verum enim vero, probe distinguendum, inter tempus in computatione legitimae respiciendum, et tempus quo computatio legitimae fit et fieri potest, b) *L. 4. Cod. de contrah. emt:* omnino querelam hancce excludit, si venditio facta fuerit ab herede donatoris. c) Sensus in citata Novella, solummodo ad venditionem, donationis causa a parente, cuidam liberorum suorum, vel ab uno coheredum alteri factam restringitur, quo etiam collineant praeiudicia a laudato Autore ibi adducta, quae autem a petitione legitimae vivis parentibus longe differunt. Querela itaque inofficiose donationis, minime contra parentes dum vivunt, ad determinandam et extradendam legitimam, ne quidem ob metum dilapidationis experiri licet; quamvis prodigo alienationes per mandatum sub poena nullitatis, interdici, et curator constitui soleat, et contra tertium emtorem huic plane locus esse non possit, sed huic aut ob dolum, ad annulationem contractus, GERHARDVS NOODT de forma emendandi doli mali cap. 3. seqq. aut ex Leg. 2. C. de rescind. emt. vend. agendum et vel

rescis-

rescissio contractus, vel reparatio laesioris, petenda sit. Alias parentes, naturali illa in Leg. 21. Cod. Mandati vel contra, praescripta libertate de rebus suis libere disponendi privarentur, liberisque in omnibus negotiis, his legem dare, alienationes eorum, etiam ob propriam indigentiam factas, sub hoc obtentu quovis modo infringere immo revocare liceret, quod tam aperte cum iure, et experientia pugnat, ideoque fictio illa iuris quae a nonnullis Ictis ex lege 5. C. de inoffic. Donat. deducitur, contra parentes renuentes nihil potest operari.

§. XXVI.

Vlterior. Cont.

AT Pacta haec dotalia, quae ante susceptos liberos, super omnibus bonis inita, validitatem suam simpliciter ex moribus Germanorum, et consuetudine Germaniae universaliter accipiunt, MVSCVLVS Tract. de success. conventionali Membr. 1. Cl. 1. concl. 3. et sic etiam solummodo, ex hoc Iure Germanico, neutquam vero ex peregrino et subsidiario Iure Romano sunt explicanda illustrandaque CHRISTIAN. GODOFR. HOFFMANN Diff. de Iurisprud. German.

D 3

prin-

*princip. et fontib. §. 7. in not. Paetia successoria, (inquit HIC AVTOR ibid. §. 23. in not.) familiae, fideicommis-
sa et consuetudine locorum introducta succedendi ratio
singularis, saepius subtilitates, Iuris Romani relinquunt.
Secundum Ius naturae autem, et quod sequitur Ius
Germanicum, liberis nullum ius perfectum in bonis
parentum competit; RIVINVS in *Diss. de paetis nu-
ptialibus cap. 1. §. 34.* Legitima itaque, exceptis ali-
mentis necessariis plane tolli potest; et licet naturali-
rationi sit consentaneum, ut liberi parentibus succe-
dant, illud tamen hoc iure, non est necessarium.
GROTIUS cit. loc. §. 11, et ZIEGLER in not. ad dict.*
§. 4. Si ergo parentes in paetis dotalibus expresse
liberorum mentionem fecerint, haec contrariam In-
terpretationem, ob presumtionem, non admittunt
sed subfistere debent etiam si liberis nulla relicta fue-
rit legitima, vid. RIVINVS alleg. loc. cap. 2. §. 42.
cum hi, iure adstipulante quidem, ad praestanda ali-
menta, at non de legitima querelam movere va-
leant.

§. XXVII.

§. XXVII.

Responſ. ad dub. secund.

Qvod ad secundum dubium attinet, noto notius est, quanta diversitas inter Germanorum mores et Romanorum reperiatur. Et quamvis pacta successoria iure Romano ute pote invalida, et contra bonos mores certantia, habeantur; attamen illa moribus Germanorum, ubivis gentium permitta fuere, et honesta, ut iam supra §. X. seqq. satis ostensum deprehenditur. Quae autem pacta moribus convenient, illa contra eosdem sine aperta contradictione esse non possunt. A iunt quidem Doctores, contrariam opinionem foven tes, pacta de successione in omnia bona inita, contra bonos mores esse. Verum hoc vitium (scilicet captatio mortis) non est pacti, sed hominum, quod tamen ad improbanda penitus pacta ista non sufficit; ita iudicat Ill. LEYSERVUS in medit. 5. Specim. 43. Distinguendum itaque, inter bonos mores iuris civilis Romani, et iuris Germanici. Hoc iure, neutquam vero iure Romano diiudicantur, et dimetiuntur pacta illa, dotalia, et hoc iure etiam semper honesta et valida, manebant.

nebunt. Quae enim uni genti videntur abiecta et
inhonesta, ea in aliis, nemini sunt turpia.

§. XXVIII.

Resp. ad dub. tert.

VLTIMVM denique obmotum, quod concernit
proverbium illud Germanicum, *Kinder zeugen kricht
Eheftiftung*, secundum legem iuris naturae et civilis,
quippe quae, cuilibet domino facultatem liberam, de
rebus suis disponendi, et alienandi dominium, concedit
HVG. GROTIUS de *Iur. Bell. et Pac. Libr. 2. cap. 6. §.
1. cit. Leg. 21. C. Mandat.* nullam aliam admittit inter-
pretationem, quam in casum, ubi successio paetitia
sob hac conditione si liberi non proveniunt, sive,
etnitas definita, vel in casum, si liberorum in pa-
etatis dotalibus nulla sit facta mentio. Priori casu pa-
etatum successorum, per conditionem hanc adiectam
consensu parentum expresso, posteriori autem con-
sensu eorum tacito ob praesumptionem, resolvitur, et
successio ad statum intestati reducitur, quod etiam
unanimi Ictorum Celeberrimorum consensu firma-
tur. Vid. Illustr. **PRAESIDIS** *Grund-Sätze der Deut-
schen*

schen Rechte in Sprichwörtern Sect. 2. Paroem. 25. sū-
pra citat. BERGER, ENGAV et BÖHMER, HERT.
de Paroem. Iur. German. Libr. 1. Paroem. 74. qui di-
stinctionem pætorum adhuc defendit, et paroemiam
hancce, ad pæcta dotalia per modum ultimae volunta-
tis conseftae restringit, STRYCK. in tract. de success.
cap. 8. §. 42. Quod si vero parentes omnia bona,
cum clausula licet liberi nascantur transferunt, con-
tra eorum voluntatem expressam, proverbium istud
locum amplius habere non potest, nisi illi facultatis
naturalis, de rebus suis libere disponendi, iacturam
facere et liberorum suorum beneficio quasi vivere
debent.

§. XXIX.

*An et in quantum videntur pæcta dotalia
legitimae intuitu?*

INTERIM licet etiam iure et praxi nitatur,
quod legitima sit debitum naturale, et liberis absolu-
te relinquenda, quod liberi intuitu eius pro tertiiis
haberi possent, in quorum præiudicium pæcta con-

E

dita

dita nullius essent valoris. Verum tamen nulla eorum
habita ratione, paetia dotalia dumtaxat quoad legitimi-
mam dissolvuntur, intuitu reliquorum bonorum au-
rem omnimodo salva remanent validaque. Praeter
legitimam, liberis nullum ius certum in bonis paren-
tum competit, et eatenus parentum potestas dispo-
nendi est restricta, CARPO v Part. 2 Constat. 43 Def. 18.
Hanc speciali iuris Romani dispositione, titulo plane
singulari accipiunt; in bonis vero reliquis nulla alia
quam heredis qualitate succedere possunt. Vi huius
qualitatis autem liberi facta simpliciter praestare te-
nentur, L. 58. D. de obligat. et act. L. 149. D. de Reg.
Iur. Nov. 48. tametsi haec facta, respectu heredis an-
te hac, ipso iure fuerint nulla arg. L. 31. D. de liber.
causs. L. 7. C. eod. ME VIVS Part. 7. Dec. 405. seqq.
LYNCKER Tom. 2. Resp. 6. nro 20 et Resp. 59. nro 22,
seqq. BRVNNEMANN ad tit. Codic. de liberali causa
nro 38. Heres enim pro una persona cum desuneto
habetur, et ad exonerandam conscientiam obligatur,
L. 19. §. 1. D. de reb. autor. iud. possidend. L. 2. C. de
hered. act. Nov. 48 in praefat. L. 5. C. de Religios. et
sum-

*sumtib. fun. cap. 5. de Rapt. L. fin. de sepultur. CARP.
zov Part. 3. Conſt. 14. Defin. 17.* Quod iura eo ex-
tendunt, ut non ſolum heres oppignorationem re-
rum fuarum a defuneto inſcio eo, factam ratam habe-
re, L. 22. D. de pignor. etc. L. 5. C. ſi alien. res, GROE-
NEWEGEN ad Leg. 41. de pignorat. aet. ſed etiam
venditionem agnoscere debeat, L. 14. C. de rei vindic. 2.
feud. 28. §. 2. alias ſi hoc factum impugnare conatur,
exceptione vel replica doli mali repellitur L. 3. C. de
reb. alien. L. 73. D. de evict. L. 14. Cod. eod. BRVN-
NEMANN ad Leg. 31. D. de Liber. cauſſ. adeoque uxor
heres mariti alienationem fundi Dotalis, ſi dotem fal-
vam retinet, revocare nequeat, L. 13. in fn. D. de
fund. dotal. L. 42. D. de uſurp. et uſucap. ibique BAR-
TOL. et DD.

§. XXX.

Consensus ICtorum.

COMMVNIS eo redit ICtorum ſententia, cui
etiam mixturae illius monſtroſae defenſores calculum

E 2

ad-

adiiciunt. Vix dubium aiant, esse potest quin pacta dotalia subsstant, nec per liberorum supervenientiam rumpuntur, si horum in pactis dotalibus expressa facta mentio, CARPZOV Part. 2. Constit. 43. Def. 13. Et licet tunc omnia praemororientis bona superstiti sint relicta, pacta tamen quo ad legitimam tantum sunt invalida, in reliquis vero bonis salva manent, ne utile per inutile vitietur. SAMVEL FRIED. WILLEMBERG in Diff. de Pact. ante nuptialib. §. 51. 73 et 74. CARPZOV Part. 2. Constit. 43. Def. 18. et Part. 3. Constit. 12. Def. 4. BERLICH Part. 3. concl. 18. nr. 14. HEE SER de Bonis et acquaeft. coniugal. Part. 2. cap. 2. nro 715. VAN LEVVEN Cens. forens. Libr. 4. cap. 12. nro 23. STRYCK de success. ab intef. Diff. 8. cap. 5. §. 18. Licet Per-Illustr. PVFFENDORF. in observat. Iuris univers. Tom. 2. observ. 173. dissentiat et pacta talia secundum praeteritionis et exhereditationis indolem Iure Romano traditam diiudicare velit.

pro curia regis et iustitiae sibi co. et viribus
militum et miliebus exercituum et regnum suum
et E §. XXXI.

§. XXXI.

Continuatio Responson.

NEC obstat, quod ductu *L. 8. C. de revoc. donat.* supervenientia liberorum donatio omnium bonorum revocetur, et ut nonnulli contendunt, huic beneficio ne quidem iuramento renunciari possit. Ratio enim 1) huius legis sane peculiaris est, et longe aliena a natura paetorum dotalium Germanorum, ubi revocationi unius voluntate factae locus esse non potest; 2) in casu ibi proposito iterum liberorum nasciturorum nulla facta est mentio, et ex praesumpta igitur tacita conditione, nisi liberi nascentur lex patri revocationem permittit. Ast si de liberis expresse fuerit cogitatum, tacita illa conditio ulterius praesumi, et sic ipsa lex, cessante eius ratione, amplius locum habere nequit. Optime hinc a B. STRYCKIO in *Vf. Mod. Libr. 39. tit. 5.* §. 17 et in *Caut. Contr. Lict. 3. cap. 9. §. 7.* a B. BRVN-NEMANNO ad hanc Leg. 8. Cod. de revocand. donat. nro 6, 12, 13 PEREZIO ad Cod. tit. de revoc. donat.

nro. 15, aliisque Doctor. GAILII et MYNSINGERI opinio refellitur, simulac colligitur quod liberis non ex hac lege cit. 8. sed tantummodo per querelam in officios. donationis, et quidem donationem omnium bonorum non in totum, sed in tantum scilicet quod ad legitimam revocare liceat, vid. L. 7, 8. Cod. de in offic. donat. L. 78, §. 3. D. de Legat. 2. Quia non datur ex praesumta parentum voluntate sed contra eorum voluntatem. BRVNNEMANN ad Leg. 5, Cod. de inoff. donat. nro 7. Haec autem sufficient !




ULB Halle
005 350 883

3



WIP



E.24. num. 16.

1764, 5

5

20
B.I.G.
DISSERTATIO IVRIDICA INAVGVRALIS
DE
PACTIS DOTALIBVS
OB SVPERVENIENTIAM LIBERORVM
HAVT TOLLENDIS

QVAM
ILLVSTRIS IVRECONSULTORVM ORDINIS
AVCTORITATE

P R A E S I D E
JOANNE FRIDERICO EISENHART

L V. D. SERENISSIMO BRVN. ET LVNEB. DVCI A
CONSILIIS AVLICIS FACVLT. IVRIDICAE ORDINARIO

SOCIETAT. TEVTON. PRAESIDE, ORDINIS SVI

H. T. DECANO ET PROMOTORE

P R O

SVMMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS
ET PRIVILEGIIS RITE OBTINENDIS
IN IVLEO MAIORI

A. D. XXXI DECEMBRIS MDCCCLXIV
HORIS ANTE ET POST MERIDIEM CONSVENTIS
PVBLCAE DISQVISITIONI SVBMITTIT
AVCTOR

IOANNES CHRISTIANVS REINHARD

ACAD. IVL. CAROL. SECRETARIVS ET FACVLAT. IVRID.
ADIVNCTVS.

HELMSTADII

TYPIS VID. F. D. SCHNORRII, ACAD. TYPOGR.



Farbkarte #13

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
------	------	-------	--------	-----	---------	-------	---------	-------

Inches	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20
Centimetres	2.54	5.08	7.62	10.16	12.70	15.24	17.78	20.32	22.86	25.40	27.94	30.48	33.02	35.56	38.10	40.64	43.18	45.72	48.26	50.80